6

Q. F. F. F. Q. S.

QUÆSTIONES MEDICÆ DUODECIM,

AB

ILLUSTRISSIMIS VIRIS

R. D. PETRO RIDEUX DECANO Venerando, ANTONIO MAGNOL, HENRICO HAGUENOT, JACOBO LAZERME, ANTONIO FIZES, FRANCISCO DE SAUVAGES, Regis Consiliariis Medicis, & Professoribus Meritissimis.

PROPOSITÆ

IN AULA EPISCOPALI MONSPELIENSI coram Illustrissimo ac Venerabili D. D. FRANCISCO LE NOIR, Theologiæ Doctore, Canonico, Theologo, & Archidiacono majore Ecclesiæ Cathedralis Monspeliensis, Abbate Sancti Salvatoris Lodovensis, Vicario Generali & Officiali.

Pro Regiâ Cathedrâ vacante.

Per Obitum R. D. GERARDI FITZ-GERALD, Regis Consiliarii, Medici, & Professoris Meritissimi.

Quas, Deo favente, & auspice Dei-parâ, propugnabit in Augustissimo Monspeliensi Apollinis Fano, triduo integro; manè & serò, diebus 22, 23, & 24 mensis Maii anni 1749.

HONORATUS PETIOT D. M. M.

MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Universitatis Medicinæ Typographum unicum. 1749.

DEO
UNI ET TRINO,
VIRGINIQUE
DEI-PARÆ,

D. D. D. C.

HONORATUS PETIOT, D. M. M.

QUÆSTIO PRIMA.

QUISNAM CATARRHUS VEL SUFFOCANS, vel ferinus est periculosior, & quibus auxiliis utrique sit succurrendum?

IN (*) utrâque Catarrhi specie de quâ hîc agitur, præsertim afficiuntur pulmones, trachæa arteria; tubuli harumce partium secretorii, arteriæque earum lymphaticæ, (*a*) decubitû seù copiosiori & subitaneo humoris serosi affluxû ingurgitantur, ità ùt vasa sanguifera plexum reticularem malpighii constituentia (*b*) notabilitér premantur. Si hæc eo gradû fiant ùt difficilimè respiret æger, metusquè sit suffocationis, suffocans aderit Catarrhus: (†) Si humor excretus

* Catarrhus seù distillatio dicebatur omnis materiæ serosæ decubitus in quamcumque partem, ùt indè læderentur functiones; posteà decubitus in membranam pituitariam, in ejus distributiones, & in pulmones, partesquè ibi vicinas, undè multiplex denominatio; nùnc restringitur magis ad pectus vid. *Gorrh.* def. Med. pag. 299. Dictionn. univ. de Med. de *Mr. James* pag. 142. *Col de vilars* Dictionn. de Med. pag. 67. Catarrhi historiam lege apud *Schneiderum* lib. 1. & lib. 5. præsertim apud Illustriss. Prof. Monsp. D. *Lazerme* tractatu de Morb. intern. Capit.

(*a*) Nunc demonstrantur. Primus in pulmone vidit Illustriss. *Ferren*, quæst. Med. an actio mechan. pulmonum in fluida, tempore expirationis? Ann. 1738. idem in act. Paris. ann. 1738.

[b] *Malpigh.* Dissert. de pulmonib. ulteriùs demonstravit Illustriss. *Helvetius* reginæ Arch. Mem. de l'Acad. de Paris ann. 1718. facillimè in testudinum pulmone, ibi vidimus arterias lymphaticas.

† Adest suffocatio hysterica, hypocondriaca, asthmatica, angina suffocans, suffocatio à ruptione abscessûs pulmonum, à miasmatis acribus, &c. de quibus hic non agitur.

insigni & veluti rodente acrimoniâ donetur, Catarrhus ferinus vocabitur. (*) alias omittens Catarrhi divisiones notabo 1°. Hanc utramque speciem nùnc sinè, nùnc verò cùm febre reperiri, quæ febris, si adsit, vel synochus simplex, vel putrida, vel maligna est. Notabo 2°. Catarrhum suffocantem ut plurimùm esse peripneumoniam notham, (*a*) vel quandòque anginam aquosam, œdematosam, Catarrhosam. (*b*) causa continens Catarrhi, tùm suffocantis, tùm ferini, est affluxus præceps & uberior materiæ serosæ in colatorium partium memoratarum; ferè semper adest causa prædisponens, uti vel topica pulmonum affectio, debilitas nempè, aut diversi generis obstructiones in vasis pulmonicis, (*c*) vel sanguinis cachectica diathesis, cùm sero male permixto & exuperanti, nùnc acris naturæ, nùnc mitioris. Causæ procatarcticæ vel petuntur ab externis, præsertim à frigore suscepto, sæpè etiam à metastasi, putà in morbis cutaneis, præsertim in faciei & pectoris Erysipelate, in carbunculo, variolis, morbillis, in herpete &c. Vel à causis internis oriuntur, interquas imprimis sunt recensendi pravi succi naturæ inspissantis &c. hospitantes in colatorio primarum viarum, qui aut spontè, aut quâcumque de causâ fluxiles facti, massam sanguinis inquinant, parique vitio sanguinis recrementa afficiunt.

Nùnc impositum onus exigit ùt determinem, quis ex utroque Catarrho periculosior sit, quem nodum soluturus

* *Imprimìs autém cognoscendum àn lympha tenuis & acris, àn verò insipida & crassa in Catarrhis profluat.* *Etmull.* tom. 1. pag. 337. & eo quidem quia ferinus sit scrupulosè distinguendus ab aliis speciebus.

[*a*] De quâ egregiè disseruit *Sydenham.* Cap. 6. pag. 167. *Boerh.* aph. 867. fusiùs Clariss. *Vanswiet.* ibidem pag. 799.

[*b*] Quam speciatim memorat *Boerh.*, aph. 791. comment. *Vansvviet.*

[*c*] *D. James* dicit tales obstructiones passim ab auctoribus memorari in glandulis trachæalibus. Dictionn. univ. de Med. pag. 144. quæ glandulæ a *Morgagn.* adv. anat. 1. pag. 32. & 33. ab *Eustach.* tab. 41. fig. 8. & à *Ruysch.* th. anat. 1 No. V. fuerunt descriptæ, in iis concretiones minutissimè vidit *Heister.* comp anat. tom. 2. pag. 27. legantur sepulch. anat. *Boneti*, Biblioth. medico pract. *Manget*, *Lancisius.* hist. rom. epid. pag. 128, *Hoffmann.* de subit. mort. tom. 7. pag. 276. & 279. *Juncker* consp. Med. Theo. pract. pag. 913. leg. *Greiselius* in miscell. nat. curios. anno 1720. obs. 74.

ſtatim adverto Catarrhum ferinum quandòque eſſe ſuffo-cantem; (*a*) doctrinæ tamén clarioris gratiâ utrúmque ſe-junctim conſidero. Catharrus ſuffocans, paroxiſmi reſpectu habito, periculoſior cenſendus eſt ferino ſimplici, interdùm enim, niſi promptum afferatur auxilium, citò jugulat, (*b*) quod in ferino ſimplici non æquè metuendum; ſi verò materiæ morbificæ ſpectetur genius, ferinus, veluti graviori periculo ſtipatus habebitur, fluida enim in eo eſſentialitér acria ſunt, imó quandòque acerrima, undè, ad rareſcentias & ad inflammationes inducendas apta, ſicqué in eo calor, ardor pectoris multùm vexant, inſomnis eſt æger, & præter febrem humoralem, quæ ſæpè adeſt, febris etiàm à ſtimulis ut plurimùm accerſitur: præterea ratione ejuſdem humorum indolis, catarrhus ferinus in veram peripneumoniam, in hæmopthiſim, in ſuppurationem partis (*c*) vel in alios affectus degenerat, quibus omnibus fit ægrum, licét, à paroxiſmo ſalvum, morbo chronico in hâc catarrhi ſpecie frequenter affici, quod in ſuffocante ſimplici non æquè obſervatur, iſtum enim nulla labes plerùmque ſequitur.

A nobis quæritur. 2°. Quibuſnam auxiliis utrique ſit ſuccurrendum. Hæc curatio ex præfatis eruitur: in ſuffocante cùm vaſa pulmonum ſanguinea ſummè ingurgitentur, citò opitulandum né ſuccumbant vèl atoniâ, vèl præſertim ruptione, vèl indè mòx ſubſequuturâ pleniori pulmonum ingurgitatione. Quibus præcavendis, nullum auxilium præſtantius eſt venæ ſectione, etiàm iteratâ, ſi pulſus tantispér ſit validus, circà tamén hanc venæ ſectionem cautelâ utatur medicus, ut potè quæ cauſam morbi antecedentem per ſe adaugeat, néc niſi ratione urgentis ſymptomatis ſit præſcribenda. Quàm citò igitùr cauſa vera morbi debelletur, amoveatur nimirùm cauſa inſpiſſans, avertatur affluxus ma-

(*a*) Duo exempla citat *Lanciſ.* de ſubit. mort. pag. 55. item *Cornelius Gemma* apud *Zacutum* luſitan. tom. 1. L. VI. pag. 919

(*b*) *Horſtius* tom. 2. l. 4. pag. 274. *Lanciſ.* de ſubit. mort p. 54. item *Junker* loco citato pag. 909.

(*c*) *Lanciſ.* hiſt. rom. epid. pag. 128. *River.* cent. 3. obſ. 74. *Juncker.* loco citato pag. 553. *Foreſt.* l. 5. obſ. 3.

teriæ ruentis in pulmones: hinc citò evacuandi pravi ſucci purgantium minorativorum ope, quæ, ſi neceſſe ſit, tartari ſtibiati additione acuentur; hæc ſi incaſſùm adhibeantur, ad vomitiva confugiendium, quæ vél in ipſo initio non numquàm indicantur; (*a*) eadem quandòque tunc inſtituenda curatio àc in anginâ ſuffocante & in peripneumoniâ putridis, felix enim eventus in conſtitutionibus catarrhoſis epidemicis hanc firmat praxim. Interim ptiſanæ levitér aperientes, ſucci bechici, Looch & ejuſmodi præſcribantur: Si in fine morbi alia ſint adhibenda, ſeligantur aperientia ſociata cùm diluentibus appropriatis, ſéd cauté immixtis. Catarrhus Ferinus praxi penitùs oppoſitâ debellatur, tam in paroxiſmo, quàm extrà paroxiſmum; ratio patet éx dictis: itâque nutriatur æger edulcorantibus uti oryzæ, avenæ, hordei cremoribus; epotet aquam pulli, vel ejuſmodi ptiſanam; febris, ſæpè à ſtimulis, per narcotica compeſcatur, (intér quæ ſirupus papaveris albi aliquòt additis guttis anodynis ſydenhami, ſi neceſſe fuerit, vel narcoticum hoffmanni) eaque horâ ſomni exhibeantur, imò in die, ſi tuſſis ſit admodùm ferox, àt præſtat mirè venæ *ſectio* pluriés repetita ùt in inflammatione verâ pectoris, remittatur purgatio & non niſi in urgenti caſû adhibeatur, diluens ſit praxis. Morbo finito tranſeat æger ad remedia edulcorantia, ea ſemper exigit diatheſis fluidorum acris, & à fortiori ſi immineat Phthiſeos periculum; ad juſcula pullorum gallinaceorum, teſtudinum, ad lacticinia, imò ad uſum lactis prò omni nutrimento deveniendum. Ex quibûs concludimus ſub aſſignato reſpectû.

Ergo Catarrhus ferinus periculoſior eſt Catarrho ſuffocante & uterque methodo propriâ curandus.

(*a*) *Horſtius* tom. 2. l. 10. pag. 510. *Riverius* in ſemetipſo expertus fuit cent. 2. obſ. 90. *Ettmull. de* Catarrho *Mang.* Bibliot. pract. pag. 490. *Nenter* pag. 227. *Juncker* loco citato pag. 910. & 913.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN Panaritium differat à Carbunculo tantùm ratione ſedis, eandemque curationem requirat?

PAnaritium ſeù paronychia in extremo digiti ad ungues ſitum, morbus eſt inflammatorius, cujus quatuor debent aſſignari ſpecies: 1ª. Cutem levitér obſidet, cùm tumore, tenſione, rubore, calore & dolore. 2ª. Profundiùs cutem, imò membranam adipoſam occupat, iiſdem ſtipatur ſimptomatis, ſed altiori gradû evectis, dolore præſertim acutiori. 3ª. Situm habet in tendinum vaginâ, vix ullus, imò ſæpiùs nullus adeſt tumor (*a*) in extremo digiti, ſed dolor acerimus, ita ægrum excrucians, ùt ſæpiùs febrem acceſſat, imò delirium, tenſiones ſpaſmodicas, convulſiones &c. 4a. Species profundiùs adhùc ſita eſt, in ipſo ſcilicét perioſteo phalangis, vel inter os & perioſteum ſiné rubore, tumore aùt vix ullo (*b*) ſéd dolet multùm, licét remiſſiùs, ùt plurimùm, quàm in tertiâ ſpecie. Morbus iſte producitur vel à cauſis externis, pungentibus præcipuè, vel ab internis (*c*) abſque ullâ extrinſecâ cauſâ. Cauſa continens eadem eſt àc alteriùs cujuſvis inflammationis; ſéd exoritur & fovetur nùnc ab externis, nùnc verò à diatheſi fluidorum acri præcipué & quæ labe quâdam ſæpiùs inquinantur. Symptomata & diagnoſis ex præfatis deducuntur. Tertia ſpecies periculoſior eſt aliis (*d*) ratione ſedis & ratione ſymptomatum tùm eſſentialium, tùm adventitiorum. Reſolutione, vél ſæpiùs ſuppuratione quatuor hæ ſpecies terminantur, præprimis duæ poſteriores. Pus in tertiâ ſpe-

(*a*) *Heiſt.* Chirur. pag. 1021.
(*b*) *Heiſt.* loco citato. *Col de villars.* tom. 1. pag. 394.
(*c*) *Platner.* pag. 76. *Col de villars.* tom. 1. pag. 384. *Heiſt.* Chir. pag. 1020.
(*d*) *Platner.* pag. 77. *Heiſt.* Chir. pag. 1020.

cie ſerpit intér vaginam & tendines, eorum ſubſtantiam vellicat & rodit, hinc omnia excandeſcunt, fiuntque inflammationes, ſuppurationes in partibûs à panaritio diſſitis, uti V. G. in flexurâ cubiti, & infrà axillas (*a*) imò & gangrænæ. (*b*) Quarta ſpecies non raró corrodit phalangem (*c*) vividiſſimum excitat dolorem, graviſſimaque acceſit mala. Curatio primæ & ſecundæ ſpeciei paronychiæ minùs ardua eſt, quandòque enim reſolutione, aùt levi ſuppuratione, ſpontè terminantur, vél reſolventium aut ſuppurantium ope facilé ſanantur, nèc niſi raró eas in tertiam ſpeciem degenerare obſervatur: tertia ſpecies citò debelletur promptâ vaginæ tendinis inſtitutâ inciſione; (*d*) cum peſſimis enim ægri rebus, puris confectio expectaretur. Quarta pariter ſine morâ aperiatur (*e*) ſed profundiùs ad os ipſum. (*f*) Sic interim ægro cautiſſimé ſuccurrendum ope diætæ humectantis, venæ ſectionum, ptiſanæ lenientis, narcoticorum largiori doſi adhibitorum: parti topica applicanda ſunt emollientià, anodyna; nequé vél vigente paronychiâ, vel etiam ipſâ curatâ, varia auxilia negligantur, imprimis in paronychiâ recurrente, aut nullâ, aut levi datâ cauſâ externâ. Tunc examinandum àn ægri conſtitutio ſit acris, àn ſpiſſa ſimul & acris, àn labe avereâ, ſcrophuloſâ, ſcorbuticâ afficiatur.

Carbunculus ſeù anthrax † itidém inflammatorius eſt morbus peſſimi moris, ſpeciali propriâque ſymptomatum congerie ſtipatus; nùnc puſtula eſt dura, vel obſcurè, vel intenſè ſed rariſſimè; rubens, ſempér in faſtigio lividâ notatur veſiculâ, vel puncto livido, vel eſcharrâ, ſub quibùs gangræna aut ſphacelus reperitur, cum partium vicinarum

(*a*) *Heiſt.* Chirur. pag. 1021. *Col de villars.* tom. 1. pag. 393. *Deidier* trait. des tum. pag. 145.

(*b*) *Ethmull.* tom. 1. pag. 556. *Platerus* tom. 2. pag. 637.

(*c*) *Matt. Blandorp.* apud Mang. Bibl. Med. prac. tom. 3. l. 14. pag. 794. *Col-de-villars* tom. 1. pag. 395. hæc aliquotiés vidit *Heiſt.* Chirur. pag. 1021.

(*d*) *Matt. Blandorp.* loco citato. plurimi que alii qui de Chirurgiâ ſcripſere.

(*e*) *Municks* Chir. pag. 186.

(*f*) *Heiſt.* Chir. pag. 1024.

† In quàcumque enaſcitur parte, imò in digitorum apice: hinc *Hildanus*, & clar. *Deidier* ſub nomine panaritii carbunculoſi de eo dicunt. Traité des Tumeurs. p. 146.

intumeſcentiâ

intumeſcentiâ, cum majori, vel minori, ſed acri dolore: nunc tumor eſt grandior cum iiſdem ſymptomatis, ſed magis apparente gangrenâ, (*a*) ſæpiùs graviſſimis ſtipatus ſymptomatis: quandoque tamen mitis, ſed multò rariùs, cui etiam nimis non fidat medicus; frequens enim obſervatio docuit, mitiſſimum, quem nulla fere comitabantur ſymptomata, aliquot dierum imò & horarum ſpatio, in malignum degeneraſſe; hinc ſuſpicandum ſuadeo nullum eſſe benignum carbunculum. (*b*) in maligno ſæpe datur, etiam in robuſtiſſimis, inſignis virium lapſus, laſſitudines ſpontaneæ, pulſus debilis, vacuus, inequalis, intermittens, per intervala deficiens, quæ natura pulſus non rarò etiam obſervatur, licet aliunde perſtent muſculorum vires; leves adſunt cardialgiæ, lipothymiæ per intervalla recurrentes; quidam, licet in his pulſus æſtuoſus & fortis appareat, licet calorem magnum experiantur, breviſſimo tamen tempore, horæ unius aut alterius ſpatio, ſæpe debiles fiunt, pulſus deprimitur, & ſunt ut in priori caſu; vel ii licet æſtuantes, & ad ſenſum viribus polleant, præſcriptâ tamen unâ, aut alterâ venæ ſectione, ſtatim decidunt in imbecillitatem virium, quod etiam in variolis mali moris obſervatur. Cauſa hujus morbi eſt materia acerimæ indolis, & quaſi in ſe vim gerens ſeſe multiplicandi, & ſimili labe inquinandi fluida, aptaque eſt eadem materia ad diatheſim gangrænodeam citiſſimè inducendam in fluidis noſtris. Gignitur hæc materies præcipuè in ventriculi colatorio, è quo delapſa, datâ dein occaſione, vires ſuas exerit, ſanguinem pari labe infeſtat. ſymptomata & diagnoſis deducuntur ex præfatis. Anthrax periculoſiſſimus eſt morbus, (*c*) fere ſemper perperacutus; ſicut enim exteriùs ubique exoritur, ita in viſceribus (*d*) ſæpé ſitum habet. duplex inſtitui debet curatio, una pró benigno, altera pró malig-

(*a*) *Fabric. ab aquapend.* pent. pag. 143.
(*b*) *Carbunculi verò omnes maligni ſunt* SENNERT. tom. 6. pag. 459.
(*c*) *Non eſt aliud tumorum genus pejus anthrace.* PERDULC. l. 14. pag. 851.
(*d*) Ut obſervavit Illuſtriſſ. *D. Chirac* Fievr. malign. tom. 1. pag. 58.

no. Benignus per externa auxilia curatur, ſimpliciter ſcarificando carbunculum, dein theriacam ſolam, vel cum ſuppurante mixtam applicando: nunquàm debet curari reſolutione ſed ducendus ad ſuppurationem, in hunc finem prudentiùs eſt applicare aliquod corroſivum ut lapidem cauſticum cum ſuppurantibus, dein curandum ulcus ut ſimplex; diaphoretica interim adhibenda, ut materiæ reliquiæ è ſanguine ad cutem amandentur; ſed cave ne fiat mali moris. Venæ ſectio præſcribi poteſt una aut altera, ſi caſus urgeat. At eâ methodo nequaquàm curaretur carbunculus malignus; auxilia chirurgica, applicanda licet, non curarent, ut frequentior docet obſervatio; at interna ſociari debent neceſſariò, interquæ eminent ſanè vomitiva: (*a*) huic praxi citò indulgebit, qui auream legit theſim *Illuſt. Archiatri D. Chicoyneau* (*b*) ſi pulſus ſit debilis, ſi ægri ſtatus expoſtulet, cordialia ſocientur cum vomitivis, vel lilium paracelſi ſimpliciter addatur; fomes ita morbi evacuatur, tranſpiratio adaugetur, depuratio fit per cutim; vomitiva enim hunc effectum mire præſtant præter deterſionem (ut ita dicam) ventriculi, dein diaphoretica ſunt præſcribenda; quandoquè curandus æger ut in febre malignâ, venæ ſectio non convenit in genere, interim non ſolum ſcarificetur carbunculus, ſed etiam avellatur ſi fieri poſſit, circumcidendo, (*c*) applicetur lapis cauſticus, dein ſuppurantia, poſtea curatur ut benignus. Undè concludimus.

Ergò Panaritium differt à carbunculo non tantùm ratione ſedis, ſed etiam ratione naturæ, ſymptomatum & curationis.

(*a*) Omnes ferè, pauciſſimis exceptis, aſſumpto vomitivo ſanabantur, dùm pauci, quibus non exhibebatur vomitorium, evadebant. Cent. 4. *River.* obſ. 99. legantur febr. malign. Illuſtriſſ. *D. Chirac.*

(*b*) *An febribus malignis, ſive purpuratis, ſive non purpuratis, ſtatim poſt venæ ſectionem in malleolo, emetica, ſeu cathartico-emetica, etiam non expectatâ morbi remiſſione, ſint præſcribenda?* concludit affirmativè, præclarus vir nunquàm ſatis laudandus.

(*c*) *Illuſt. D. Chirac* loc. citat. tom. 2. pag. 260.

QUÆSTIO TERTIA.

AN dolori colico pictonum aeris & vini mutatio?

IN medicorum ſcriptis, colici doloris ſpecies quædam, quæ degenerare ſolet in paralyſim, (*a*) *colica pictonum* nuncupatur, quià, inquiunt, pictavii frequentiſſima. † Character ejus eſt, paralyſis ſubſequatur. Convulſiva eſt hæc ſpecies, (*b*) *Et adeo frequens in inſulis caribienſibus, ut in numero morborum endemicorum juré meritò habenda ſit.* Towneus apud *allen.* Art. 656. Moraviæ, Auſtriæ & Franconiæ familiaris eſt. (*c*) pro cauſâ præcipuâ agnoſcunt ſcriptores, acerborum ac immaturorum fructuum commeſſationem, vinorum acidorum, immaturorum & tartareorum

(*a*) *Perdulcis.* l. 13. pag. 773. *River.* pag. 170. & 292. *Halyabas. Paulus. Hollerius. Nicolus* aliique authores, tales præſtant obſervationes apud *Zacutum Luſitanum* de Med. princip. Hiſt. l. 1. pag. 83. *Horſt.* tom. 2. l. 4. pag. 182. *Foreſtus.* tom. 3. l. 21. obſ. 5. pag. 6. *Sennert.* tom. 2. pag. 435. *Sydenham.* pag. 668.

(†) In plagis illiusce provinciæ maritimis aër paludoſus & inſalubris eſt; fructus acerbi, vina immatura, & acida multum, hinc ibi plebs colico dolori valde obnoxia, tempore præprimis vindemiarum, maximè autém, quià ab earum primâ die vinum nondum fermentatum ſummâ copiâ epotant, lacticiniaque utì & fructus indiſcriminatim aſſumunt; hinc ibi diarrheæ, ac maximè dyſenteriæ pertinaces, cholera morbus & ſimilia epidemicé feré quotannis graſſantur; neque tamen hic loci, colico dolori, ſaltém ſæpiùs quàm apud alias regiones, quantùm ex relatu variorum illiùs provinciæ Medicorum accepi, ſuccedit paralyſis; his tamén uti & affectibus comatoſis, plurimi etiam inter nobiles cives, qui aliundè à ſimili vino abſtinent & vinum burdigalenſe pro uſu habent, ſed abſque ullo colico dolore prægreſſo, obnoxii multùm ſunt; Pictavii autem aër Saluberrimus, vinum uſitatur generoſum; ex quibus credendum videretur olim Pictavii ſimilem fuiſſe conſtitutionem undè ſic ab autoribus Denominata fuerit colica Pictonum; ſed ea nunc abolevit. Pictonibus autém uti ex denominatione pateret, colicam hanc propriam eſſe, ex variorum authorum ſcriptis credere dubitare eſt; ſi quidem juxta *Foreſtum* Britonibus familiaris eſt tom. 3. l. 21. pag. 6. obſ. 5. anglis ita communis ut inter ſigna paralyſeos prognoſtica habeatur. *Bonet.* tom. 1. l. 1. ſect. 15. pag. 284. obſ. 2. Auſtriæ, Moraviæ, Franconiæ juxta *Bonetum* tom. 1. l. 1. ſect. XV. pag. 295. *Horſtius* pag. 182. *Sennert.* tom. 4. pag. 435. Diction. *de James* tom. 3. pag. 689.

(*b*) *Platerus.* tom. 2. pag. 845. *Bonet* tom. 1. l. 1. ſect. 15. obſ. 2. pag. 283.

(*c*) Vide finem notæ. †

(a) Epotationem, nimiam liquoris perniciosissimi ex spiritu saccharri ardentissimo & succo limonum silvestrium compositi ingurgitationem, in insulis caribiensibus (b) & ibi inclementiam aëris nocturni. Neque dubitandum talia assumpta, à fortiori nimio abusu, pravos succos producere posse, qui acidi vegetabilis acerimi naturam redoleant: imo ex observatis chymicorum fit acidum ex vegetantibus æqué acre & corrodens ac sunt mineralia acida; (c) indé digestiones depravantur, succosque indolis acidi corrodentis suppeditant, qui massam fluidorum inspissando, lapsu temporis ad paralysim disponunt. At cùm acres, simul & copiâ uberiori in primis viis producantur, vires ibi edere valent, villosque nerveos stimulando, tormina producere, eò sæviora, quò tubuli secretorii intestinales proprio succo ingurgitati vasa sanguifera sparsim premunt, hinc non æquè expeditus cruoris circuitus per eorum membranas, hinc illarum puncta plurima nimìs tensa, distracta & nimís sensibilia: acres ergo succi in cavo intestinorum communi hærentes, duplici hâc ratione intestina maximè irritant, ita ut colica nervea, inquiunt, & convulsiva exoriatur: hoc in casu totum genus nervosum sympathicè patitur, undè dolores rhumatici vagi quandoque enascuntur. Materies illa acris ad sanguinem delata, tum nervis, tum præcipuè arteriis. lymphaticis fibrillas nerveas comcomitantibus, (d) veluti metastasi, suppeditatur; hinc premuntur villi nervei laterales, unde huic colicæ paralysis succedit, imo quandòque affectus soporosi eam subsequuntur; vel etiam villi nervei, tempore paroxismi, tantoperè tensi, in atoniam decidunt. Ex datâ theoriâ præcipua morbi symptomata deducuntur: astrictio pertinax alvi, dolores sunt urentes, pungentes, lancinantes; viribus ferè exhaustis frigescunt extrema; ad

(a) *Sennert.* loco citato. *Bonet.* loco citato pag. 295.
(b) *Tovvneus* apud allen art. 1092. sydenham. 668.
(c) *Homberg.* Memoir. de l'Acad. an. 1699. & passim apud eadem acta. *Glauberus*, furnor. Philosoph. pars altera. *Bonhius* medic. chim.
(d) Leg. *Monro.* apud acta Edimb.

sunt

ſunt præcordiorum anxietates, angores, animi deliquia & ſimilia; *ceſſante aliquantò doloris vehementiâ, ægrotus perturbationem quamdam per ſpinalem medullam ſentit, quâ brachiorum ac crurum nervis propagatâ, imbecillitate ſtatim ſenſim, afficiuntur, in dies creſcente, donec brevi in paralyſim confirmatam deſinit.* Towneus *loco citato.* Juxta eumdem, aeris nocturni inclementia, itinerantibus nocet, ſi ante crapulam edormiverint. Quam periculoſiſſimus ſit ille affectus, tùm paroxiſmi tempore, tum extra paroxiſmum, patet: *hunc dolorem atrociſſimum ſanat balſamum peruvianum frequenter, ac in magnâ doſi exhibitum, nempè ſi ejus guttæ XX. XXX. vel XL. ſaccharri albiſſimi cochl.* I *inſtillentur, & bis vel, ter in die dentur: àt paralyſis huic remedio haud cedit. Sydenham.* Proceſſ. integr. pag. 668. magis nobis arridet praxis, Townei, qui non in morbi principio, & non niſi jam vehementiâ affectûs ſubactâ, balſamum præſcribit; ſed blandiùs ſtipulatur, per narcotica præprimis. *Opiata paralyſim accelerare non nulli opinantur, ſed longè errant; indubitatâ experientiâ edoctus, largâ manu illa non modò innocuè, ſed ſemper cum fauſto ſucceſſu exhibui. Tovvneus loc. cit.* eamdem fere adhibet curationem, ac nos in colico dolore adhibemus; crediderim enim in eo caſu præſcribenda eſſe edulcorantia, ut oleum amygdalarum dulcium; aqua pulli, enemata ejuſdem indolis; externè fomentationes, ſemicupia, omnia demùm quæ inteſtina relaxant, quæ acres ſuccos obtundunt, diluunt, ut dein ægro præparato, acres ii ſucci minorativorum ope, evacuari queant. poſtea ad balſamum devenire oportet & varia ad paralyſim, proponere medicamina, pro caſu. At ùt amoveantur cauſæ prædiſponentes & hunc effectum producentes, inter omnia abſtinendum ab aſſumptis in principio theſeos memoratis, & maximè loco acidi & immaturi vini, ſubſtituendum generoſum, ſed ſobriè, & ſi æger in aere paludoſo vitam degerit, aer convenientior imperandus, quapropter ſub allato ſenſu concludimus.

Ergò dolori colico pictonum aeris & vini mutatio.

QUÆSTIO QUARTA.

AN post amputationem partis gangrænâ affectæ, cauterium actuale?

IN instituendâ, partis gangrænâ affectæ, amputatione, pars viva semper scinditur; hæc ergo quæstio ad istam, à non nullis videretur reduci; utrum nempe in qualibet amputatione, cauterium actuale adhibendum sit? at quàm sæpe inducerentur in errores periculo plenos medici! Pari enim eâdemque medelâ, parti gangrenâ prius affectæ, opitulandum non esse, ac parti priùs nequaquàm gangrænodeæ, docet ratio, confirmat experientia. Gangræna seu incipiens partis mortificatio † pendet nunc à causis externis, nullâ fluidorum præviâ labe, nequé etiam per ipsam gangrænam partis, inductâ; nunc verò pendet à diathesi fluidorum gangrænodeâ, vel spontaneâ, vel ex ipsâ partis affectione, subortâ; (*a*) quæ enim diximus de carbunculo, hùc iterum sunt revocanda. Miasmata gangrænodea, vel per sui multiplicationem, vel per aliam quamcumque rationem, eâ pollent vi, fluida mutandi in quid sui simile; quod, etsi explicari non possit, plurimis tamen constat observatis (*b*) non solùm in ipsâ gangrænâ, sed etiam in numerosâ morborum serie, ut in viru, venenis &c. His de causis patebit cuicumqué, quanti intersit, à naturâ theseos propositæ, haud recedere & sub eo respectu gangrænodeo, eam considerare:

[†] Apud D. *James* Historia gangrænæ fusé & exacté legi potest. Dict. Univ. de Med. tom. 4. pag. 21.

[*a*] *Hildamus.* Marc. *Gerbezius.* Paul. *Wurffbanni.* georg. *trumphius.* apud *Mangetum* Bibli. Chir. tom. 1. l. 7. pag. 265. 274. 277. 279. *Bonet* tom. 2. l. 4. sect. 4. obs. 10. pag. 1637. *Perdulcis* l. 14. pag. 853. *Sennert.* tom. 5. pag. 216. *Horst.* tom. 2. pag. 477. *Etmull.* tom. 1. pag. 567. *Municks.* Chir. pag. 89. *Aquapend.* pent. pag. 145. *Deidier* traité des tum. pag. 140. leg. disser. de Sphacelo à causâ potissimum internâ celeb. *Hoffmanni* tom. 8. pag. 59.

[*b*] *Horst.* miram præstat obs. tom. 2. pag. 477. *Tulpius* apud *Manget.* Bibl. Chir. tom. 2. l. 7. pag. 274. *Vansvvieten.* tom. 1. pag. 135.

primó itaque caſus eſt, curam ſimplicem exigens, in quo nimirùm pars citò excinditur, priùsquam miaſmata abſorpta fuerint, fluidiſque nullâ adhuc omnino labe contaminatis. Caſus alter adeſt, in quo magis, minuſvé intenſa viget fluidorum prava diatheſis, vél ſponté & à cauſâ internâ, vel à partis miasmatibus exortâ: promptam exigit iſte & methodicam topicorum & medicaminum, imprimis internorum exhibitionem; quibus, inſtitutâ jam operatione, fluidorum prava diatheſis, vél deſtruatur ſi poſſibile ſit, vél ſaltem in progreſſu retardetur. Concurrat igitur hæc duplex remediorum adminiſtratio; mutuò qué ſibi auxilientur. Cauté ergò notet medicus, undenàm gangræna, an à ſanguine nimis acri & balſami inope, qui caſus ſæpius occurrit, tùm ſpontaneâ putrefactione, alkaliſatione, tum partium ipſiùs integrantium totali perverſione; notet an ibi fuerit conſtitutio virulenta [*a*] venenata [*b*] eique appropriata adhibeat auxilia; notet & inſuper virium & pulſùs naturam, non ſecùs àc ægri ætatem, anni tempeſtatem &c. Varié ergò eis ſuccuratùr, neque indiſcriminatim adhibeantur auxilia ab auctoribus decantata, inter quæ, ab aliquot annis, maximé venditatur KINA; quæ reverâ utilis admodum eſt [*c*] ut poté egregiâ vi ſtomachicâ pollens, miré corrigit pravos ſuccos gangrænam foventes, & quæ forſitan, appropriatè emendat ejus miaſmata, aut eorum ulteriorem prohibet generationem, dum aliundé per medicamina caſui propria & uſitata opitulatur. Par, in curâ exteriori diligentia adhibeatur; factâ nimirum amputatione, præcaveat primò medicus hæmorrhagiis, ſi vaſa majora fuerint

[*a*] *Eugalenus* apud *Manget*. Bibl. Chir. tom. 2 l. 7. pag. 277. *Sennert.* tom. 4. pag. 524.

[*b*] *Perdulcis* loco citato. *Sennert.* tom. 5. pag. 72. *Municks* Chir. pag. 90. *Platner.* Chir. pag. 100. *Aquapend.* pent. pag. 146. *Van Svvieten* tom. 1. pag. 135. 691. 692.

[*c*] Plurimæ leg. obſer. tom. 4. des Mem. d'Edimbourg. nempè à D. J. *Hamilton* pag. 55. Geor. *Wood.* pag. 62. Th. *Simſon.* pag. 63. *Gipſon* pag. 67. *Calder.* pag. 72. *Monro.* pag. 73. & tàndem à D. *Douglas.* pag. 74. leg. ejuſd. Diſſer. de gangrenâ *Van Svvieten* tom. 1. pag. 727. 728. ubi referuntur quàm plurimi effectus mirabiles a KINA in gangrena producti.

ſecta ; ſin minora tantùm , exigui erit momenti humorum effuſio , & ſponté , aut debitâ preſſione , aut ſtipticis † ſubſiſtet ſanguis ; imò bonum erit cruorem effluere , indè enim pars evacuatione topicâ meliùs levabitur. ſi majora vaſa, debitè ligentur , ea eſt præſtantior , ſemperque in uſum vocanda methodus ; [a] topica dein applicentur diverſæ indolis, pro ut magis minùs vé abundans ſuppuratio promovenda erit, larga enim in caſu propoſito ſæpé neceſſaria eſt, ut reliquiæ miaſmatum , ex ipſâ parte evacuentur , ſanguiniſque, ſi fuerit contaminatus , ibi loci depuratio fiat. Verùm inter hæc auxilia , cauterii actualis uſus non advocetur. Sivé enim ſuaderetur ad ſiſtendam hæmorrhagiam , ſivé præſentiâ ſuperſtitum miaſmatum , ſivé quâcumque aliâ ratione , infelix feré ſemper eventus ex ignis applicatione ſuccederet , [b] undé concludimus.

Ergò poſt amputationem partis gangrænâ affectæ , cauterium actuale non convenit.

QUÆSTIO QUINTA.

AN hydrophobiæ hidrargiroſis ?

DEfinitur hydrophobia , horror aquæ , & potulentorum maximus , cum ſiti intensâ , & delirio , in principio , obſcuro , dein manifeſto , intermiſſo , vél continuo , & furioſo , a veneno animalis rabidi morſu , aut quovis

[†] Aqua ſtiptica D. Matte comendanda multùm ; illud enim habet proprium , quod ſit ſtipticum minimè corroſivum & acre , ſi benè præparetur ; difficultas conſiſtit in ritè calcinandâ terrâ vitrioli , cavendo ne fiat colcothar. ejus deſcrip. reper. apud D. *Charas.* Pharmac. art. du vitriol.

[a] *D. Chirac.* obſ. de Chir. pag. 129. *Van Svvieten.* tom. 1. pag. 316. & 317. *Col de Villars* tom. 2. pag. 208. act. Edimb. tom. 4. pag. 401. & ferè omnes recent.

[b] *Sennert.* tom. 5. pag. 73. *Van Svvieten.* tom. 1. pag. 313. 314. & 317.

alio

alio modo communicato, productus. [a] reducendus est hic morbus, ad affectus à nimiâ fluidorum ficcitate pendentes, [b] cum aliquali acrimoniâ & cum nimiâ folidorum tenfione, per intervalla veluti fpafmodicâ. Infuper ibi reperitur viru peculiaris genii, & à nemine adhucdum verè determinati, à quo vél præparatur & producitur hæcce conftitutio, vél fi fit jam in corpore præfens, increfcit & evehitur; in quo quidem ultimo cafû, multò certiùs & promptiùs vires fuas exerit viru hydrophobicum; hinc una ex rationibus elicitur, quare inter demorfos, nonnulli citiùs, [c] nempé aliquot dierum fpatio, alii tardiùs, [d] uti V. G. quadragefimâ die circiter, imò & quandoque nonnifi poft plures menfes [e] (quod in cachecticis & frigidis præfertim obfervatur,) paroxifmum patiantur. Effectus itaque hujufce viru, femper eft exficcare fluida, unde fubfequitur neceffariò nimia folidorum tenfio; quibus ritè intellectis, plerorumque fymptomatum ratio, facili operâ deducitur. Delirium rabiofum, abfque viru hydrophobico communicato, fuiffe, innumeræ probant obfervationes; (f) quod quidem diftinguitur ab hydrophobiâ propriè dictà;

[a] Ab Illuft. D. *Lazerme*... fufé & præclaré agit de hydrophobiâ. tract. morb. int. cap. pag. 164.

[b] Hieron. *Capivaccus*. prac. l. 7. de Venen. pag. 928. Illuft. D. *de Sauvages*, nouvelles claffes de maladies. pag. 309. Illuft. D. *Aftruc* de hydroph. pag. 15.

[c] *Zacutus Lufitanus*. prax. med. admirab. l. 3. obf. 85. 86. *James* Dic. Uni. de Med. tom. 4. pag. 347. *Foreft.* tom. 1. l. 10. pag. 443. Illuft. *Aftruc* de hydrop. pag. 70. Illuft. *D. de Sauvages* Differt. fur la rage pag. 5.

[d] *Foreftus*. tom. 1. l. 10. pag. 443. Dodoneus. gefnerus apud *Foreftum* loc. cit.

[e] *Zacutus Lufitanus*. prax. Med. admirab. l. 3. obf. 87. pag. 116. *Guyon*. Miroir de la fanté corporelle tom. 2. pag. 253. *Foreft.* tom. 1. l. 10. pag. 443. *Fracaftorius*. *Guaiuerius*. apud *Foreft.* loc. cit. *D. James*. plura exempla citat. tom. 4. Dic. Uni. pag. 437. & 449. Illuf. D. *de Sauvages* Diff. fur la rage pag. 12. 30. & 55.

[f] Quinque exempla recenfet Marcellus *Donatus* & unum pet. *Salius Diverfus* apud *Sennert*. tom. 2. inft. med. l. 2. part. 3. fect. 2. pag. 524.

Hùnc cafum imminentis delirii, in juvene valdè melancolico, obfervare mihi contigit, qui quidem, diffecto cane nequaquam certè contaminato, fed quem ridentes amici rabiofum dixerant, jam à pluribus menfibus in delirium incidebat, in quo abhorrebat ab aquà, nec nifi fummà cum violentià aquam epotabat; mihi fæpiffime dicebat, fe mox paffurum hydrophobiæ paroxifmum, hâc ideà continuò vexabatur, quidquid ratio ipfi in contrarium fuaderet. Solus ideo remanebat, auctores de hydrophobià, avide per legens, ejufque cuncta fymptomata fibi femper applicabat, nec nifi diluentium ope, & præfertim amicorum hortatu, qui fe fe ridendo, illud dixiffe affirmabant, ad pristinam fanitatem rediit,

nundùm in hominibus, spontè, quod sciam, observato viru hydrophobico. Eo jam evoluto, saliva, glandulæque faucium afficiuntur; ita ut sedem ibi selegisse videretur; hinc sensum acrimoniæ, & ardorem experiuntur ægrotantes, dumqué virulenta hæc saliva dissolvitur, villi harumce partium nervei, stimulantur, vellicantur, potus ergo hanc dissolutionem inducens, cruciatus adauget, undé hujus mali ab aquâ excitati, haud immemores, hanc recusant epotare, ac dein crescente malo, ab ejus præsentiâ, imò & imagine, non secus, ac corporis cujuscumque pellucidi, (ideam aquæ offerentis) truci aspectu fædantur, ferociunt, convelluntur; exindè tamen concludendum, haud censerem, sedem in salivâ præprimis habere viru; cum enim quâcumque de causâ, humanâ fluida acria fiunt, saliva præ cæteris hujusce mali fit particeps, tùm quia aeri magis exposita, tunc ratione partis alimentorum tenuissimæ, & veluti volatilis, cujus reliquiæ quædem, semper in ore supersunt, sed halituum imprimis, è ventriculi cavo exhalantium putrefactione, continuò inficitur. Fœtidè ergo saliva putrescit, sales ex eâ evolvuntur, vél producuntur alkalinorum volatilium indolem redolentes, uti in animalium corruptelis, solemne est; hujus ergo viru naturam esse, crediderim, ut quid alkalinum volatile, sed spiritu rectore peculiari stipatum. Talis naturæ miasma sitienter appetit aquam, hinc ab aquâ epotatâ, dira excruciatio, quia fit intra os & fauces, subitanea & vehemens agitatio, ex accessu vivido, & mutuâ ad invicem aquæ & miasmatum attractione (*ab illust. Isaaco Nevvtone* demonstratâ;) (*a*) unde villi nervei viciniores, aliique per consensum, summoperè commoventur, hinc horripilationes, vehementes totiùs corporis concussiones, motiones spasmodicæ, quibus maximè fluida ex

Nonnè idem fieret in iis, qui post plures annos à morsu, rabiosi evadunt? viru tamén hydrophobicum ita constitui posse, ut nonnisi post plures annos, vires exerat, non negaremus, quoniàm enim phisica & chymia) præprimis similia docent; quoniam pariter viru variolosum, morbillosum, venereum. quibus ex analogiâ desumptis *clar. vir.* D. D. *Chirac*, *Haguenot*, Société Royale des Sciences, accedit authoritas.

(*a*) Versus finem optices.

ſuccantur; undé præcitata diſcraſis, ad ulteriorem gradum aſcendit. Periculoſiſſimus eſt morbus iſte, & ferè ſemper malum incurabile, niſi principiis obſtes. quæritur jam, utrùm huic, ſit adhibenda hydrargiroſis. Hæc ſanè, fluidorum & ſolidorum ſtatûs habitâ ratione, nequaquàm convenit; exagitat enim valdé, diſſipat fluidiora, magiſqué exſiccat; hinc periculum videretur inflammationum, quales obſervare eſt in ſiccioribus & bileſcentibus. Omnia conveniunt econtrà, quæ humectant, diluunt; indicantur ergò balneantia, laxantia, & ea, quibus acris ſaliva diſſoluitur, & obtunditur energia viru; conveniunt paritér narcotica, quæ ſomnum conciliando, fibras nerveas laxant, earum nimis vibratilium, tonum imminuunt. Hæc praxis methodica videtur. Omni igitur ope, dietâ humectanti, venæ ſectione, balneis præſertim aquæ tantiſper tepidæ, aquâ pulli, eorumque juſculis, ſero lactis, lacte aſinino, hilaritate, † ſuccurendum eſt ægro; aqua leviter coagulans (ex acido vitrioli ad gratam aciditatem parata, in uſum vocari poſſet; vim enim inſignem habet ſpiritus vitrioli ſalibus alkalinis ſe ſe uniendi, ſociandi, (præcipuè ſi eliciatur methodo *Glauberi*) ſic ut inde exſurgant ſales neutri, eoque modo deſtruatur ſeminium hydrophobicum; eâdem aquâ, repetitis vicibus in die & nocte, ſi non dormierit, os ægrotus abluet; nullum eſt præſtantius auxilium ad pracavendam putredinem, quam acidum vitrioli, ut & acidum ſulphuris (quod verè eſt acidum vitriolicum;) hæc autem varia, fieri debent jam à primis morſûs diebus, non neglectis interim remediis externis; nam ſi paroxiſmum jam paſſus fuerit ager, ferè ſemper incurabilis eſt. Ita ergo concluderemus citò, niſi ab aliquot annis, experientia rerum magiſtra, (cui debent cedere ra tiocinia quæcumque, modò certa & conſtans ſit) novum nobis, in eo caſu, remedium

† Quædam imò remedia, apud vulgus decantata, ſuadere prudens eſt, quorum auxiliorum, ex hominûm præjudicio, & ex eorum in mentem, potius quam in corpus actione, virtus eſt deducenda. Sic. *Lud. Guyon* refert. præsbiterum, quem capite in aquam immerſerant ſanatum fuiſſe. *Trait.* du Miroir de la beauté & ſanté corporelle. tom. 2. pag. 253. act. par. ſimilia narrant.

videretur ſuppeditare, uſum nempé mercurii, ſub multiplici formâ adhibiti; hoc primi (quod ſciam) propoſuerunt D. *Tauvri* (*a*) ſed præcipuè *Illuſt. Profeſſor Monſpelienſis D. Aſtruc* Diſſert. de Hydroph. dein *D. Deſault* (*b*) qui hancce methodum redegit ad actum, alii poſtheà viri celeberimi ſe, hujuſce remedii, effectus vidiſſe felices affirmarunt (*c*) & noviſſimè *Profeſſor Illuſtriſſimus* Monſpelienſis. (*d*) auctho- ritati tot *virorum celeb.* haud ego refragabor, at cum in novis, præcipué maximi momenti, remediis, mora nunquàm damnanda ſit, concludere mihi liceat.

Ergò in hydrophobiâ hydrargiroſis, nequè rejicienda, nequè penitus admittenda, ſed ulterius, firmiuſque de ea re judicium, à novis obſervationibus eſt expectandum.

QUÆSTIO SEXTA.

Sudoris ſanguinei cauſas & therapeiam exponere.

SPonté fluet è cute ſanguis, ſub formâ ſudoris, uti rem ità eveniſſe, pluribus obſervatis conſtat, (*e*). ſi tubuli ſecre torii ab extremis ſanguiferis immediate (*f*) vél à lymphaticis

(*a*) *Tauvry* Hiſt. de l'Acad. an. 1699. pag. 48. vix enuntiatur.

(*b*) *Deſsault.* Diſſertation ſur la rage.

(*c*) Editor morb. cap. D. *Lazerme* pag. 199. D. *Giber.* apud D. *Sauvages* Diſſer. de la rage pag. 57. D. *James* multas citat obſervationes curationis hydrophobiæ, ope turpethi mineralis, & concludit remedium illud in pari caſu, æquè eſſe ſpecificum, ac aliud quodcumque ſpecificum pro ſuo morbo.

(*d*) Illuſt. D. *de Sauvages.* Diſſert. ſur la nature & la cauſe de la rage. Piéce qui a remportée le prix de l'Academie Royale des Siences, Inſcriptions & Belle-Lettres de Toulouſe.

(*e*) *Ariſtoteles. Benivenius.* hæm. apud *Sennert.* tom. 2. l. 2. part. 3. ſect. 1. pag. 501. *Rondelet.* de dignoſcen. morbis chap. 11. pag. 26. eximium ſudoris ſanguinei exemplum refert *Horſt.* pag. 294. *Zacut. Luſitanus* prax. Med. admi. l. 3. obſ. 41. 75. Georg. *Sporlinus. Bartholin. Sachſius.* Sam. *Ledelius* apud *Mangetum* Bibl. Med. pract. l. 16. pag. 592. *Thobias Durrius. Alard Mauricius* apud *Mang.* loc. cit. pag. 598. 599. tranſac. philoſ. num. 109. & 171. *Ruyſch.* adver. anat. Dec. 3. obſ. 3. pag. 14. *Boerrhavii* & aliorum authorum obſ. refert *Haller* inſt. med. pag. 455. & 468.

(*f*) *Ruyſch.* adv. anat. dec. 3. pag. 14 & 15. arterias lymphaticas jam detexerat in utero clar. *Vieuſens* an. 1703. nov. ſyſtema vaſorum pag. 5. & 6. & pag. 7. imò earum quaſdam in parietibus venarum terminari pag. 7. & ibidem variis in

exorti

exorti, globulos coccineos ſuſcipiant, eos que foràs tranſmittant. Illos autem ſuſcipient. 1°. ſi nimis dilatentur (*a*) eâdem perſtante rubrâ ſanguinis portione, imó craſſiori quandoquè factâ, modò in majori ratione, ampliata fuerit ſecretoriorum ſectio. 2°. Si rubri ſanguinis globuli, ſeu denſitate, ſeu diſſolutione tenuiores fiant, ſimùlque aliquatenùs dilatentur ductus ſecretorii. ii dilatantur aut nimio diùtiuſque continuato fluidi appellentis impetûs augmento; aut imminutâ, ratione laxitatis, vél debilitatis, (qui duo ſtatus cautiſſimé ab invicem ſunt diſtinguendi) ſecretoriorum reſiſtentiâ; aut utriuſque cauſæ concurſu... denſitas globulorum purpureorum, ſervatâ eâdem quantitate materiæ, volumen imminuens, à validiori actione vaſorum inducitur. Sanguinis autem diſſolutio exinde naſcitur, quòd acrimoniâ in illo vigente, balſamum tenue, quo globuli ſex lymphatici in unum adunati, ut rubrum conſtituant, (*b*) roditur & deſtruitur, ſicque ſoluto nexu, globuli ii lymphatici ab invicem diſſiliunt & ſeparantur. Status iſte diſſolutionis admittitur in pluribus inflammationibus gangrænodeis, non ſecùs ac in febribus ſuppuratoriis. Rem ita eſſe aliquandò in caſibus memoratis, non negandum; ſed, ſunt alii plures in quibus non tam diſſolutio vera, quam pſeudo, ut ita dicam, diſſolutio, ſeu aſſimilationis defectus præſens eſſe mihi videtur, uti in cachecticis, chloroticis, pluribusque aliis è chronicorum claſſe affectibus. † Quoquidem in caſu ſemper adeſt vaſorum laxitas, ſerum malè permixtum & exuperans. Fiet ergo ſudor ſanguineus qua-

locis. dein *Hovius* tract. de circul. humor. motû in oculis pag. 26. & 27. *Ruyſchium* accuratè pervolvendo, præſertim reſp. ad epiſt. probl. 13. fig. 17. eas vidiſſe in occulo patebit. At evidentiſſimè eas, præprimis in uveá, demonſtravit, Illuſt. *Ferren*, & reperiendi methodum propoſuit, apud acta Pariſina an. 1741.

(*a*) Illuſt. D. *Haguenot* Diſſ. phyſiolog. de inſenſ. tranſp. pag. 16. *Haller* locis citatis.

(*b*) Leevwenhoek arc. nat. pag. 3. 496. & paſſim plurimis in aliis locis.

† Quæ probatur ſententia ex iis quæ fiunt in ipſa hæmatoſi, ac ex ipsá praxi demonſtrari poteſt.

tuor illis de causis, vel simplicibus, vel inter se combinatis; vel cum aliquo viru complicatis. omnes autem causæ sudoris sanguinei remotiores, reducuntur ad ea, quæ quadruplici memoratæ causæ ansam præbent. Quadruplex ex dictis se se offert curandi methodus, quæ multas etiam varietates suscipiet, ad varias causarum combinationes, vel complicationes, habito respectu. Si ab inspissatione fluidorum prædominante, præscribenda sunt aperientia præsertim, sed cautè diluentibus immixta. Si (*a*) a sero malè permixto & exuperanti eum laxitate vasorum, prescribenda levia evacuantia, sed cauté, & præprimis roborantia & appropriâta adstringentia. Si a siccita te fluidorum, diluentia. Si (*b*) ab acrimoniâ fluidorum prædominante, edulcorantia. Si ab iis causis variè combinatis, earum curatio combinabitur juxtà leges prudentiæ. Si sit complicatio cum viru, appropriata naturæ viru erunt adhibenda. Sæpiùs autem dependet sudor sanguineus, ab acrimoniâ scorbuticâ. Sic itaque.

Sudoris sanguinei causæ, & multiplex therapeia exponuntur.

QUÆSTIO SEPTIMA.

AN hepatis abcessui incisio?

IN internis fieri inflammationes, pariter ac in partibus externis, quæ suppuratione, abscessu terminantur, docet observatio. Hæc suppuratio si in hepate fiat, pusque vel in propriâ hepatis substantiâ, vel inter ejus substantiam & tunicam externam colligatur, hepatis abscessus constituetur. Qui ratione sitûs diversitatis, modo auxilia chirurgica admittit, modo è contra hæc integré renuit; si in superficie convexâ & exteriori resideat, quâ superficiei internæ claustri abdominalis correspondet, felici eventu, viam puri, convenienti institutâ abdominis incisione, apertam fuisse multiplex experientia

(*a*) *Horst.* tom. 1. pag. 310. & tom. 2. l. 5. pag. 294.
(*b*) *Tauvry* trait. des malad. aigues tom. 1. pag. 125.

demonſtravit. (*a*) Sæpe in eo caſu, hepatis cum peritonei lamellâ adhærentiam fieri, hancque verè circumſcriptam docuerunt cadaverum inſpectiones; quæ ſi fiant, pus ibi ita poterit accumulari, ut ab ipſâ hepatis ſubſtantiâ extùs continuò preſſum, membranamque hujusce viſceris externam diſtendens, muſculos abdominis diducat, moleque magnâ aggeſtum, abſque ullâ in cavum abdominis extravaſatione, foràs promineat; quin & ſuâ acredine propriam hepatis tunicam, & peritoneum rodit, viresque in muſculum tranſverſum exerens, cum tacitâ labe, ſenſim abſumit, ſemperque verſùs exteriora ſerpens, muſculoſque ſuprà jacentes deſtruens, viam ad uſque cutem ſibi parat, unde tumor in abdomine mollis & fluctuans excitatur, quo puris intrà contenti exiſtentia, cuicumque palpanti demonſtratur; neque obſervationes deſunt, quibus hujuſce ſuppurationis ſedes ſub ſolâ cute, vel in muſculorum ſubſtantiâ disjudicata fuit & aperto tumore, res aliter inventa fuit, nempè modo jam jam expoſito; qui abſceſſus cum perfectè curati aliquandò fuerint, exinde lex certa exſurgit tales in hepate ſuppurationes, conditionibus memoratis ſtipatas, medelam admittere, quæ non niſi inſtitutâ abdominis inciſione, expectari poteſt, aut rariſſimé. Undè ſi hanc unicè hepatis abceſsûs ſpeciem comprehenderet propoſita quæſtio, nil certè morandum eſſet, & inciſionis inſtituendæ neceſſitas cuicumque pateret, (licet etiamtumor prominens, abſque adhæſione memoratâ adeſſet.) verùm quàm aliter, in caſibus innumeris res ſe ſe habeat, norunt clinici. Suppura-

(*a*) Patavii quidam deplorato jecoris ulcere laboravit, homo robuſtus alias & nauticis laboribus additus, huic medicus tunc temporis clariſſ. H. S. præter reliquorum medicorum conſilium, curavit abdominis partem in regione jecoris novaculà aperiendo. *Capivacc.* pract. lib. 3. cap. 23. pag. 746. *Hercules Saxoniâ* quidam deſperato abſceſſu hepatis laboranti abdomen è jecoris regione novacula aperuit quo loco tumor eminebat & magnâ ſaniei copià èductâ hominem ſanavit *Sennert.* tom. 4. pag. 543.

Laurent. Maſſa. per cauterium curavit apud *Bianchi.* Tom. 1. pag. 367. *Ruyſch.* Obſ. anat. Chir. Obſ. 50. ſic Illuſt. D. *Chicoyneau*, Archiat. comes operationem feliciter præſcripſit Juveni Cuidam exPezenaco-Caſtro obſ. commun. à D. *Daviſard.*

Hanc operationem ſuadent *Hyppocrates* ſect. 7. aph. 45. *Cels.* lib. 4. de remedica cap. 8. *Mercatus* & *Horſtius* cum ferro candente tom. 3. pag. 85.

Ettmuller tom. 1. pag. 293. *Riviere* pag. 320. D. *James* Diction. Med. tom. 4. pag. 253. *Bianch.* Tom. 1. pag. 365. *Boerhaave.* aphor. 943. *allen.* art. 365.

tio enim in quâcumque aliâ hepatis parte, poteſt accidere, imò & in jam recenſitâ, fieri abſque adhærentiâ ſuccedente, abſque peritonei & muſculorum abdominalium roſione, abſque demum ullo tumore exteriori; qui caſus varii ſi in praxi occurrant, vel vana & dubia eſſet abdominis inciſio, vel etiamſi utiliter adhiberi poſſet, quando præcipuè hepatis ſuperficiem exteriorem ſuppuratio obſidet, nullâ ſtaret certa regula, quâ pus in tali loco præcisè verſari à medicis judicaretur; temerariò ergò & cum peſſimis ægri rebus ſæpe preſcriberetur, exquibus ritè perpenſis, unicum caſum eſſe ſtatuimus, in quo inciſio hæc a medicis ſit ſuadenda, quando nimirum tumor adeſt ad exteriora prominens, quem fluctuatio, aliaque ſuppurationis ibi præſentis ſigna, concomitantur, unde ſub eo ſolo reſpectu, concludimus.

Ergò hepatis abſceſſui inciſio ſtatim inſtituenda.

QUÆSTIO OCTAVA.

AN calculus veſicæ felleæ viribus medicamentorum expelli poſſit?

EFformatas ex bile concretiones in cyſtide felleâ ſæpiùs reperiri, docet cadaverum apertio, (*a*) bilis autem concreſcit & naturam veluti lapideam acquirit, ſi vis quâ ad mutuam adhæſionem nitantur ipſius particulæ, actione vaſorum non ſuperetur; vel ſi è contrà adauctâ vaſorum

(a) *Gliſſon.* Anat. Hep. 82. *Bianch.* hiſt. hep. tom. 1. 191. 484. 485. 486. Lapilli 72. fabarum àc piſorum magnitudinem æquantes in veſicâ felleâ àc poris choledocis reperti fuere, *Nicol. Gul. Beckers.* apud *Manget.* Biblioth. Medico-pract. tom. 2. pag. 1035. in cyſti felleâ calculos 72. reperit *Morgagn.* adv. anat. 3. pag. 60. in aliâ veſicâ felleâ calculos 120. invenit *Morgagn.* loco citato pag. 59. duos calculos quorum unus ovi columbini magnitudinem æquabat, alter verò minor erat, reperit *Bagliv.* de nat. bil. pag. 433. cyſti deficiente, in illius ſede ingens calculus concreverat. *Fernel.* apud *Manget* loc. cit. tom. 2. pag. 1035. Thom. *Barthol.* Hiſt. anat. rarior. Cent. 2. Hiſt. 24.

ſorum oſcillatione, ità premantur, ut ad intimiorem contactum & denſitatis augmentum, tenuiorum partium inductâ diſſipatione cogantur; qui bini effectus in bile adeò faciliùs obtinebuntur, quòd ea pinguibus & oleoſis, mutuóqué ſe attrahentibus moleculis conſtet. Nucleos harumce concretionum, vel in ipſo hepate, in vaſis nimirùm ipſius biliariis, vel in ipſo veſicæ felleæ textû, in ductibus nempé ſecretoriis quæ ad ipſam propriè attinent, generari autumamus, & ex utrâque ſede primariâ, vel ductibus hepatico-cyſticis, (*a*) vel ductuum veſicæ felleæ ſecretoricrum extremis, in ejuſdem cavitatem effundi, ubi continuâ lamellarum applicatione adaugeſcunt. Nuclei exordientis primordía, cum tacito gradu procedant, vix ullo ſimptomate ſtipantur, ſed idem ad veſicæ felleæ cavum delapſus, voluminiſque augmentum ibi adeptus, multiplicis malorum ſeriei cauſa evadit, quæ præſertim inducentur, ſi calculus veſicæ collum ſubintrans, bilis exitum præpediat; hæc enim in veſicæ cavo retenta ejus parietes ſummè diſtendet (*b*) eoſque ad imminentem veluti crepaturam diducet, hinc & ex ipſius calculi nisû, ut ductum cyſticum ſubeàt, acuti dolores exoriuntur in ea parte fixè hærentes, qui ſuccedente ictero aliquandò ſolvuntur, poſt aliquod tempus rurſùs appariturì, novo que icteri inſultû iterùm ſolvendi, ſicque alternatim. Verùm cum acuti in eadem ſede dolores à coli affectione induci valeant, ſigna meditari neceſſum eſt, tùm ex prægreſſis, tum ex concomitantibus deducenda, quibus doloris cauſa, vera que morbi ſedes dignoſcatur; inter quæ ægri conſtitutio, prævia hepatis, vel inteſtinorum labes, icteri præſentia vel abſentia, aluo excretorum color, felix vel irritus remediorum eventus, quibus colici dolores leniri ſolent, ſedulò ſunt advertenda. Utrum verò hicce calculus, viribus medica-

(*a*) Hos ductus adſtruit *Bianch.* tom. 1. pag. 112. tom. 2. pag. 942. 943. 945. pinguntur in tab. 5. hos ductus Bononii demonſtravit *Taconus* apud *Bianch.* tom. 2. pag. 962. leg. celeberr. *Winslovv* expoſ. anat. tom. 4. n. 296.

(*b*) *Silvius*, *Fabric. ab aquapend.* apud *Manget.* Biblioth. Medico-pract. tom. 2. pag. 1031. & 1038.

mentorum expelli poſſit ; ratio indicabit & docebit præſertim experientia. Quoad primùm, cognitâ vaſorum indole, eorumque ad dilatationem ſuſcipiendam aptitudine, id inductû cyſtico & choledoco fieri poſſe, licet anxiè, dubium non eſt; idemque ope medicamentorum factum fuiſſe, conſtat obſervationibus; (*a*) inter quas, eam habemus, quâ Profeſſor Illuſt. (*b*) in nobiſſimo viro, hunc effectum obtinuit. Remedia hæc non equidem directè & propriâ vi, in calculum agunt ut eum expellant; in eo enim ſensû, nulla aſſignari poſſunt, quæ veluti calculi expulſoria haberi queant, ſed in curæ ritê inſtitutæ decurſu, huic expulſionì favere, eamque obtinere uti dictum fuit, poſſibile eſt. Methodica hæc auxilia, paroxiſmi tempore, ex venæ ſectione, leniente diæta, ptiſanis diluentibus, repetito olei amygdalarum dulcium potû, narcoticorum uſû, ſemicupiis aliiſque dolorem ſedantibus, ſolidaqué laxantibus, ſunt deducenda. † Extra paroxiſmum, fluidorum & ſolidorum labes ſedulò eſt advertenda, ut ipſi occurratur, quæ cùm in diverſis variet, uniformis & conſtans curationis methodus tradi non poteſt, ſed eam in quolibet casû diſtinguere, ſagaci medico arduum non erit. In hujus curæ decurſu, notare intereſt, ſummè proficuum fore, ſi nihil obſtet, aquas minerales acidulas præſcribere ex quibus concludimus.

Ergò calculus veſicæ felleæ, viribus medicamentorum expelli poteſt.

(*a*) Calculus biliarius ultrà juglandis magnitudinem & figuræ ad triangularem accedentis peralvum excretus eſt. *Bianch.* hiſt. hep. tom. 1. pag. 189. calculus mediocris oleæ magnitudinem æquans per ſedem dejectus eſt. *Bianch.* loc. citat. pag. 488. 490. plures calculos poſt alvi profluvium reddi vidit *Fernel.* apud *Manget.* bibl. med. pract. t. 2. pag 1035. pluſquàm centum calculi è lateri vulnere inflicto exiere *Ros. Lentilius* apud *Bianch.* loc. citat. pag. 190. centum & ultrà grandines flavæ inſtàr nucis avellanæ pér ſeceſſum excretæ ſunt. *Joh. Ferdin. Herted.* apud *Manget.* Biblioth. Medico-pract. tom. 2. pag. 1026. pluſquàm trecenti calculi excreti ſunt. *Ros. Lentilius* apud *Bianch.* loc. citat. pag. 189.

(*b*) *Celeber. D. Fizes.*

† Quám dubia ſit quorumdam praxis, qui temporè ipsius paroxiſmi, medicamina calida, Purgantia vehementiora, & èmetica preſcripſerunt, norunt clinici.

QUÆSTIO NONA.

AN detur Anevryſma verum? ſique detur, ejus aſſignare deſcriptionem & cauſas.

ANevryſma tumor eſt contrà naturam, productus à ſanguine arterioſo, in quo adeſt arteria nunc præter naturam & uniformiter dilatata, nunc expanſa in ſacciformem tumorem, nunc rupta & cruorem effundens. In verum dividitur, in quo ut plurimùm pulſatio adeſt & ſemper circumſcriptio, & in ſpurium, in quo rariſſimè occurrit pulſatio, ſed veluti fremitus quidam ſolummodò obſervatur. In priori ſpecie, ſanguis in proprio arteriæ cavo adhucdum continetur; in ſecundâ, ex arteriâ exiit, & in vicinarum partium interſtitiis effunditur. De veris, ut theſi reſpondeam, hîc tantummodò erit ſermo. Itaque Anevryſmata ſunt plura, in quibus, vel ſimplex adeſt arteriæ expanſio, abſque ullâ parietum ruptione, membranis ſuis conſtans omnibus remanet arteria, licet quandoque accreverint ad monſtroſam magnitudinem; id minutiſſimè vidit *Ruyſchius* & alii plures anatomici. Alia ſunt Anevryſmata, in quibus una rumpitur, vel altera è membranis arteriæ, integris aliis remanentibus; quo in caſu, nunc rumpitur interna, annotante *Hildano*, nunc & ſimul carnea, *tranſ. philoſoph.* nunc tunicæ rumpuntur externæ, dum internæ, imó ſola interior ſubſiſtit integra, aliis tamen partim fulcita incumbentibus. vid. *Boerhaavius*, *Vanſvvieten*, at præſertim *D. Littre* in actis Pariſinis. ea omnia, vera ſunt, nec confundenda cum ſpuriis, (in quibus ſemper adeſt arteriæ apertio & cruoris effuſio.) rurſus vera obſervantur Anevryſmata, in quibus cruor fluxilis eſt, in iis preſſione debitâ reſolvitur tumor, ſtatim poſt rediturus, preſſione ſublatâ; alia ſunt in quibus ſanguis in polypoſas maſſas concrevit, lamellas ſæpe & tunicas efformans;

quæ quidem pſeudo-tunicæ immunerabiles quandòque, lamellatim poſitæ, pro veris membranis primò intuitu imponerent. Hasce maſſas & lamellas jam viderant *Veſalius*, *Pareus*, *Borellus*, *Malpighius*, at minutiſſimè poſtheà *Ruiſchius*, *Littrius*, &c. Nunc parietes Anevryſmatum oſſei ſunt, & cartilaginei, uti patet ex obſervatis *Parei*, *Riverii*, & *clar. Ferren.* Haſce omnes Anevryſmatum ſpecies, ab auctoribus citatis obſervatas fuiſſe conſtat. Unde demonſtratur Anevryſmatum verorum exiſtentia, eorumque pateſcit deſcriptio (*a*) quomodò autem produci hæc queant, facilè intelliget qui notabit. 1°. Quaslibet arteriæ tunicas, ejus eſſe naturæ, ut ſe diſtendi & elongari ſinant in omnem ſenſum, ejuſque expanſionis terminum vix ab ullo poſſe determinari, 2°. Textûs in iis firmitudinem ubique non eſſe æqualem, ſed quædam puncta non raró adeſſe, quæ nativâ, vel contractâ labe, vicinis ſint laxiora, ita ut diductionis ab eadem cauſâ ſuſcipiendæ, capaciora evadant 3°. Arterias & ſanguinem a corde motum, inter ſe eſſe ut vires ſibi invicem contranitentes; ex quibus ſequitur toties producendum fore Anevryſma, quoties harumce virium ita turbabitur ratio, ut ſanguinis impetus major ſit, quam robur arteriæ valeat ſuſtinere; unde 1°. Quæcumque ſanguinis impetum adaugere, illiuſque preſſionem lateralem intendere poterunt, inter cauſas Anevryſmatis erunt recenſendenda, unde 2°. Ea quæ arteriæ reſiſtentiam imminuent, Anevryſmatis pariter cauſa fient; quod Anevryſma a fortiori producetur, ſi duplex id cauſarum genus invicem concurrat; Anevryſmatiſque augmentum erit in ratione compoſitâ, directâ cruoris impetùs, & inverſâ reſiſtentiarum arteriæ; nimis ergo concitatus cruoris curſus; ejus nimia moles, dum præcipuè adſunt verſùs anteriora obices ſubitò imprimis inducti; tunicarum arteriæ tenuitas, debilitas, laxitas, Anevryſmati anſam præbebunt. Sic que poſt

(*a*) Ab aliquot diebus, in noſocomio hujuſce Urbis adeſt ægrotans, qui duodecim ab hinc annis, conſequenter ad venæ ſectionem, in brachio dextro gerit anevryſma, pugni magnitudinem adæquans, pulſans notabiliter & circumſcriptum.

vivida

vivida animi pathemata, in melancholicis, hypochondriacis, in obſtructionibus inveteratis, in iis qui ſummos edunt niſus, uti in bajulis, in parturientibus, ſic pariter, poſt contuſiones, diſtractiones, poſt tunicarum arteriæ exteriorum, quod ſæpiùs vel interiorum quod rariſſimè, ruptionem, roſionem non rarò inducuntur Anevryſmata. Undenam autem pendeant peculiares Anevryſmatum varietates, quæ ſuperiùs fuerunt recenſitæ, ex prægreſſis facile eruetur; ſimulque intelligitur quâ ratione monſtroſa aliquandò Anevryſmata exurgent, à ſimplici diductione parietum arteriæ, ſi enim tacito gradu diſtrahantur, pari ratione in iis nutritio fiet, quibus diù & eâdem proportione continuatis, poſt plures annos ad mirum ſæpe volumen evehentur, ut conſtat obſervatis pluribúſque confirmatur experimentis. (*a*)

Ergo dantur Anevryſmata vera, quorum deſcriptionem & cauſas aſſignavimus.

QUÆSTIO DECIMA.

AN emeticorum ſtibiatorum vis ſulphuri cuidam emetico ipſis proprio, an partibus eorum integrantibus tribuenda?

P*Hiloſophiæ naturalis id reverà præcipuum eſt & officium & finis, ut ex phænomenis, ſine fictis hypotheſibus arguamus, & ab effectis ratiocinatione progrediamur ad cauſas....* NEWTON OPT. L. 3. PAG. 372. *hypotheſes enim, in Philoſophia quæ circà experimenta verſatur, pro nihilo ſunt habendæ.* NEWTON

(*a*) Materiam ceraceam injiciendo in aortæ truncum, continuâvi vrgente uſque ad ceræ refrigerationem (aliter aorta ſe ſe reſtituit;) vel aérem inſufflando ope follis, vimque paulatim uſque ad imminentem crepaturam adaugendo, duplò ad minùs major fit ſectio aortæ ad ejus curvaturam. Fruſtulum aortæ extenſum, ſuſpenſum & ritè, accomodatum, applicatione ponderum in dies auctorum, & aquæ tepidæ repetitá aſperſione, ſpatio aliquot dierum, duplam acquirit ſuperficiem, quin in iis experimentis ulla conſpiciatur fibrarum ruptio; monſtroſæ tot dilatationes aliarum partium ſine ruptione, hæc quæ diximus confirmant.

ibidem. Itaque, ſtibium ſeu antimonium conſtat partibus ferè æqualibus ſulphuris communi ſimilis & ſubſtantiæ regulinæ. GEOFFROY TRACT. DE MAT. MED. Si prævia non fuerit præparatio, haud movet niſi per accidens, ſed levem tantùm promovet ſudorem & perſpirationem adauget. Si mutetur in hepar antimonii movet anà & catà. hâc præparatione ſulphur avolavit, copià ſummâ. Item ſi mutetur in regulum; ſi regulus mutetur in vitrum, ulteriùs adhuc diſſipatur duplex ſulphur antimonii. Vitrum ferociùs movet hepate. Regulina pars volatilis eſt. STHALL. FUND. CHYM. pulvis algaroth enormiter movet, item butyrum antimonii, exin elicitur regulus *Boerh. Chym. tom.* 2. Ille ſtibii regulus intenſiſſimè movet.

Character vomitivi eſt, 1°. Ut conſtet partibus duris multùm; 2°. Partes duræ præ nimiâ tenuitate haud tranſudent nimis per ventriculi ſubſtantiam; 3°. Partes duræ evolvantur è glebâ, ut ità dicam, priuſquam tranſierint per pilorum. Acidum vitriolicum eſt omnium concentratiſſimum. Eſt generaliſſimum; eſt fortiſſimum. Alia omnia expellit acida. Unitur parti metallicæ, ut in matrice. Sitientiùs appetit ſalem alkalinum TABL. DE GEOFROY. Hæc ejus vera matrix. nitrum præparatione fit alkali, eſt alkaeſt *Glauberi* BOERHAAV. PROC. 138. antimônium diaphoreticum non movet, niſi per cutem. Movet per vomitum, ſi ei addatur acidum vegetabile. NOUV. COURS DE CHYM. SUIVANT LES PRINCIPES DE STHAL. ET DE NEWTON. Elicitur iterùm regulus ſtibii. FECI. Intenſé movet. Ab effectis progreſſi ſumus & approximatione. Præcipuæ vomitivæ ſtibii præparationes ſunt regulus, hepar, vitrum, vinum ſtibiatum, tarrarus ſtibiatus, flores, extractum *Glauberi*, ſulphur auratum primum, ſulphur auratum ſecundum, Butyrum antimonii, pulvis algaroth. ex iis licet ſtrictiſſimè enunciatis concludimus.

Ergò emeticorum ſtibiatorum vis non ſulphuri cuidam emetico ipſis proprio ſed partibus integrantibus regulinis eſt tribuenda. (*a*)

(*a*) Natura enim ſimplex eſt & rerùm cauſis ſuperfluis non luxuriat. NEWTON.

QUÆSTIO UNDECIMA.

An detur, & quomodò fiat fluidorum Anarrhopia & Catarrhopia?

ANarrhopia *tranſlationem*, vel juxtà alios *propenſionem* ſignificat aut *inclinationem*, quam humana fluida habent, ut verſùs partes ſuperiores adeant..... Catarrhopia verò eam audit, quâ verſus inferiores. *Hyppocrates* ea verba plurièś adhibet. Sic de humoribus agens (*a*) *cautio*, *imperitia*, *experiendi difficultas*, *glabrities*, *viſcerum vacuitas*, *inferioribus repletio*, *ſuperioribus nutritio*, *ſursùm inclinatio*, *deorſum inclinatio*, *quæ ſuâ ſpontè ſurſum aut deorſum tendunt*; nullibi tamen illiùs inclinationis, veritatem demonſtrat, neque illius cauſas explicat. Hanc fluidorum inclinationem videntur admiſiſſe medici veteres, quamvis circa eam, vel demonſtrandam, vel explicandam pariter ſileant; quid inſuper per has voces (unanimi ſaltem conſenſu) verè intellexerint, non mihi accuratè determinatum videtur. Quidam eas, hoc ſenſu adhibuerunt, ut crediderint, in juvenibus, humores impetum edere ſuperiora verſus, in ſenibus verò verſùs inferiora, hinc *duretus* V. G. dicit febres ardentes in juvenibus, ſolvi per hæmorragiam narium, in ſenibus per dyſſenteriam. *Ballonius* iiſdem verbis ſæpe utitur; (*b*) ſed circa hæc, varia profert, quæ certè nemo admittet, quædam pariter indicat *Vander Linden.* (*c*) *Baglivus* anarrhopiam & Catarrhopiam deſignaſſe videtur, licet earum nomine non utatur, iſtamque notam ſubjungit. (*d*) Sunt qui dependenter ab animi pathematis, fluidorum mutari directionem, & ea determinatè, in hanc vel aliam partem

(*a*) De humoribus lib. ſect. 11.

(*b*) De virginum & mulierum morbis. præcipuè pag. 255.

(*c*) Selecta medica.

(*d*) Sed ut hæc certò obſerventur in praxi, ſicuti reverâ obſervari debent, jubente ſibi natura lege, animus omni curâ ſolvendus eſt, ut liberè hinc inde diffluere poſſint ſpiritus, & irradiare partes ſingulas, juxtà naturæ ordinem; nam animo curis, ſtudiis, & millè aliis cauſis, vitæ civilis, agitato, turbatoque, liquidorum omnium curſus millè modis, turbantur, agitantur que, effluunt hinc inde furibundè, quà fluere non debent. *Bagliuus.* de fib. motr.

provolui putant. Itaque ut omnis vitetur verborum ambiguitas, ſub triplici reſpectu, quæſtioni mihi propoſitæ reſpondebo. 1°. Quidem utrum humores noſtri, vi quâcumque, vel innatâ, ipſiſque propriâ vel adventitiâ, magis petant ſuperiora quam inferiora, & viciſſim. 2°. Utrum vera ſit propoſitio aſſerens, in juvenibus, humores magis ad ſuperiora duci, quàm in ſenibus? 3°. An fluidorum dependenter ab animi affectibus mutetur directio, eorumque ab iiſdem, verſus hæc vel alia loca determinetur efluxus? Quoad primum notare eſt, fluida noſtra, iiſdem ſubjici legibus, ac alia quæcumque fluida, quorum communes conditiones ſunt, ut ad motum, vel ad quietem ex ſe indifferentia ſint, neque ullius, tum motûs, tum directionis ſuſcipiendæ capacia, niſi à cauſa externa, (*a*) quæ vel gravitatio eſt, vel vis magnetica, vel repulſiva, vel actio corporis alterius moti, & in ipſa impetum edentis. Porrò fluida noſtra præter vim gravitatis, nihil habent in ſe, ratione cujus motum edant; unde concludendum venit hæc ſibi relicta, ne minimè poſſe ſurſum petere; Si autem conſiderentur uti ſunt intra corpus humanum, præter vim gravitatis, aliam habent a motu cordis & vaſorum impreſſam, cui nonnulli aliam ſubjungunt, quam ab anguſtia vaſorum capillarium attrahente, deducunt, (*b*) quæ ultima cum hîc locum non habeat, ea præſertim advertenda venit, quæ à cordis & vaſorum actione dependet. Huic autem ſanguis obediens, in omnes omnino partes, & juxtà directiones quaſlibet impellitur, & ſi ab omni motione animali præſcinderemus, nihil aliud ibi obſervare eſſet præter leges cuicumque machinæ hydraulicæ communes, cum eo ſolo diſcrimine, quod à cordis & vaſorum ſtructurâ, alternis eorum preſſionibus, & propriâ fluidorum humanorum indole, eſſet oriundum. Nihil vero unquam in tali motûs ſuſcepti directione, obſervandum veniret, quod anarrhopiam, vel catarrhopiam ſaperet, ſed

(*a*) Vid. *Sgraveſandius*. phiſ. element. mathemat. lib. 3. *Muſſchenbroek* Eſſai de phiſiq. chap. 20.

(*b*) Leg. *Weitbrecht*, in comment. petropolit. ad an. 1734... & 35. claſ. 2... Illuſtr. D. de *Sauvages*. Diſſert. de vaſorum capillar. ſuctu.

omnia

omnia ex cognitâ effluxuum, (*a*) chordarum (*b*) & affrictuum (*c*) theoriâ deducerentur penitus. Ergo ſub hoc reſpectu anarrhopia & catarrhopia admittendæ non videntur. Quoad ſecundum, quædam ſolummodò indicabo, quibus, propoſitionis veritas patefiet. Vis cordis ſub triplici reſpectu conſiderari debet. 1°. In incremento, putà in juvenibus, 2°. Dum viget in ſtatu, putà in adultis, 3°. Dum decreſcit, ſcilicet in ſenibus. Vires autem auxiliatrices cordis, eamdem ſequuntur rationem. Nunc reſpectû reſiſtentiarum, gravitas fluidorum non videtur imminui, viſcoſitas autem & eorum tenacitas certè adaugentur, (*d*) quæ viſcoſitas debet multùm annotari in affrictibus; ergo in ſenibus vires continuò decreſcunt, dum augeſcunt reſiſtentiæ; ergo ſitus habitâ ratione, verum eſt dicere, in juvenibus humores magis ad ſuperiora, duci quam in ſenibus. Sed hæc differentia multò minor eſt, quam crederetur, & ab eâ nequaquam ſunt deducendæ varietates, quas in juvenibus & in ſenibus ſe obſervaſſe medici affirmant; id inſuper anarrhopiam, & catarrhopiam veram non conſtituit. Ultimò, an ab animi pathemate, uti ab odio, amore, irâ terrore &c. fluida diverſimodè afficiantur? Rem ita evenire docet obſervatio, quâ fluidum nerveum in progreſſu nunc remitti, nunc velociùs irruere, & ad partem peculiariter determinari, evincitur, unde mirâ in vaſorum actione, & ſanguinis, lymphæ, aliorumque humorum motu, accelerando, vel retardando, ſuccedunt varietates, ſed exinde, ſi, ad ſenſum veterum attendamus, neque anarrhopiæ, neque catarrhopiæ exiſtentiam admittere eſt, unde concludo.

Ergò neque fluidorum Anarrhopia, neque eorum Catarrhopia datur.

(*a*) Leg. *Labè Pujol.* Traité du mouvement, & de la meſure des eaux coulantes & jailliſſantes.

(*b*) *Sgraveſande.* Phyſices elimenta mathemat. libr. 2.

(*c*) *Amontons* apud acta Pariſ. an. 1699.

(*d*) Comment. *Halleri* in inſt. *Boerhav.* art. vis & act. cordis.

QUÆSTIO DUODECIMA.

Choreæ ſancti viti cauſam & therapeiam exponere.

CHorea ſancti viti, † convulſionis ſpecies quædam eſt, pueros, puellas ve a decimo ætatis anno, ad pubertatem invadit, prodit ſe claudicatione, vel inſtabilitate alteriùs cruris, quod æger poſt ſe trahit fatuorum more, manum ejuſdem lateris, vel pectori, vel alii alicui parti applicitam, nequit continere in eodem ſitu horæ momento, ſed in alium ſitum & locum convulſione diſtorquebitur, quidquid æger contrà nitatur .... ita *Clar. Sydenhamius* proceſſus integr. curand. pag. 662.

Ex ea ſymptomatum enumeratione concludendum autumo, choream Sancti viti, morbum non eſſe ſimplicem, nec ad convulſionem ſolummodò reducendum; ſed ex convulſione & diſpoſitione paralitica, verè complicari, idque eo affirmo lubentiûs, quod chorea Sancti viti proximam cum tremore affinitatem videatur habere & medicis notum ſit, duplicem eſſe tremoris ſpeciem, ſemiparalyticam unam, aliam ſemiconvulſivam.

Id inſuper mihi probatum videtur *Cheynei (a)* tractandi methodo, cui auctori fidem eò magis adhibendam cenſeo, quod iſtum affectum apud anglos vulgatiorem, ſæpius obſervare, & tractare contigerit, quam apud nos, * ubi rariſ-

† Choreæ Sancti Viti mirum exemplum refert *Horſtius* l. 2. de morb. cap. pag. 119. alterumque refert loc. cit. pag. 127. leg. *Vincent. Belvacenſis* l. 26. cap. 10. apud *Sennert.* tom. 3. pag. 118. *Felix Plater.* prax. med. tom. 1. pag. 87. *Nicol. Tulpius* obſerv. l. 1. apud *Manget.* Bibl. med. pract. tom. 1. pag. 555. *Sydenham.* pag. 517. inter auctores ſunt qui Choream Sancti Viti à tarantiſmo non ſatis diſtinguunt. Tales *Meyſſonnier* Traité des malad. extraordin. *Sennert.* loc. cit. *Horſtius* loc. cit. *Bellin.* de morb. cap. pag. 507.

(a) De infirmor. ſanit. tuend. pag. 75.

* *Illuſtriſſ. D. De Sauvages* morbum hunc vidit in muliere quinquagenariâ. nouv. claſſ. de malad. pag. 268.

simé occurrit. Causam ergo hujus morbi, miasmati, seu viru peculiari, ut plures excogitarunt, (*b*) non tribuam, sed simpliciter deducam a distributione involuntariâ inæquali & inordinatâ fluidi nervei, in musculos cruris, brachii, aliarumque ejus lateris partium; hæc autem fluidi nervei distributio, nunc major erit, sed inæqualiter fiet in musculos antagonistas; nunc in aliquos eadem, ac antea perstabit, sed imminuetur in alios; nunc demum in omnes imminuetur, sed dispari ratione; ex eo enim multiplici modo, inordinata & irrequieta musculorum in latere affecto contractio exorietur: quòd autem unum latus præ alio afficiatur, a topicâ præsertim affectione deduces, debilitas enim in nervis, aut in musculis, vel in iisdem tensio inæqualis, seu hæc, ab innatâ labe, seu ab adventitiâ pronata fuerint; quæ igitur vitiosæ huic partis dispositioni ansam præbent, inter causas hujusce affectus remotas, erunt annumeranda, eaque ad duplex causarum genus revocabo, nempe ad laxantia, & ad tendentia, modo utrumque inæquali tenore agat. Hâc autem pravâ dispositione suppositâ, succi è primis viis suppeditati plerumque causæ procatharticæ ad instar, affectum hunc determinant; *Cheyneus* enim curam ab emetico semper ordiebatur, ejusque remedii usum felici successu repetebat, quæ praxis ei analoga est, quæ in convulsionibus cum dispositione paralyticâ solet adhiberi; ergo curativæ indicationes hùc vergent, ut pravi primarum viarum succi evacuentur, ut sanguinis & lymphæ massa appropriatis remediis attenuetur, ut roboretur latus affectum; si dispositio paralytica prævaleat, aut laxetur aliquatenus, si convulsionis status, (qui à siccitate sæpius provenit) prædominium teneat. primam indicationem *Cheyneus* emeticis, *Sydenhamius* purgantibus adimplebat, hæcque evacuantia primis morbi diebus, alternis vicibus uterque repetebat. Hâc clar. auctorum perpensâ methodo, curam ab evacuantibus incipiendam esse determinamus, præmissâ unâ aut altera venæ

[a] *Meyssonnier* Traité de m alad. extraordin. pag. 50.

ſectione, ſi ejus neceſſitatem natura pulſûs indicet, iiſque plus minùſve juxta caſuum diverſitatem iteratis; rectificandæ ſunt digeſtiones, ope ſtomachicorum calidorum, interquæ KINA & enula campana commendantur, aperientia ſimul & præſertim antiſpaſmodica, uti peoniæ maris, & valerianæ ſylveſtris radices, ſunt adhibenda. Cauſis inſuper antecedentibus medelam afferre neceſſum eſt, diluentibus, aperientibus, topicis roborantibus, uti embrocationibus aquarum thermalium, vel laxantibus, quæ omnia pro circumſtantiarum varietate, diverſimodé ſunt varianda, vel invicem combinanda, id que inſuper notandum ut anno ſequenti, tempore nimirum, quo morbus invaſerat, apta quædam remedia ſuadeantur.

Sic igitur Choreæ Sancti Viti cauſa & therapeia exponuntur.